

pedites, ceperunt; pro quibus milites comitis Guidonis et nostros, in praelio apud Castrumcarium captos, recuperaverunt.

De praelio apud Calancum.

CAP. LXVII.

Anno dominicae nativitatis MCLXVIII in Junio, cum quidam milites Faventini ex more stetissent in insidiis apud Castellonum [a] a media nocte usque in horam vespertinam, et nihil fecissent [b], eo quod nullus prae nimio timore exiverat castra [c], domum reverti, licet non laeto animo, cogeantur. Accidit autem in ipsa reversione quod quidam magnam ascenderat [d] arborem, speculaturus aliquid, si posset, quod eorum laetificaret animos. Qui statim aliis nunciavit omnes milites Foroliviensium singulos cum sacculis frumento plenis ad praedictum properare castrum; quos equites nostri, omnibus rite paratis, in loco qui dicitur Calancum, aggressi sunt ex improviso, cum quibus magnum et crudele commiserunt praelium, multis ex parte utraque fortiter vulneratis. Capti sunt autem ex parte nostra VII milites, de parte hostium XV magni et nobiles viri. Cum autem hostes multo plures numero acriter instarent, nostris jam vigiliis et jejuniis atque labore non modicum fessis, viderunt a longe Iohannem Saltarinum Mercatorum [e] vexilliferum [f] gradu citissimo [g] suis succurrere. Tunc ipsi docte et caute separari curaverunt a nostris; praedictus vero Iohannes et alii, animi quorum ferebantur [h] ad praelia, dum illa die post multam confabulationem de mora [i] militum dubia, quia [j] plus steterant solito, assumptis armis cum vexillo exeuntes civitate [k] ascenderunt in stratam, perscrutaturi si eorum adiutorium posset esse militibus aliquod subsidium. Et dum huc et illuc prospicerent sollicite, viderunt eminus pulverem magnum per incursus et occursus [m] equitum augmentari et elevari non modicum. Rati denique rei veritatem, facti sunt per agros aquilis velociore, leonibus fortiores, ut hostes [n] cum suis quirent invenire permixtos. Obviantes [o] vero militibus, eis [p] pro victoria congratulabantur maxime. Verum, quia eorum [q] vires, ut optaverant, nequiverunt experiri, animo aegro aliquantulum, domum revertebantur.

[a] Castellonum. Sic legit cl. Mitt.; Castillionum, C. V. et A. — [b] nihil fecissent. Nichil fecissent, C. M. — [c] exiverat castra. Codd. exiverat castrum. — [d] ascenderat, Codd. M. et V.; alii legunt ascenderet. — [e] mercatorum. Sic C. M.; mercatorem legunt C. V. et cl. Mitt. — [f] vexilliferum. Sic legendum videtur in C. M.; Vexilliferentem habet C. V.; Vexilli ferrei legit cl. Mitt. — [g] gradu citissimo, Codd. M. et V. Non deest qui legit: graduatissimo. — [h] ferebantur lego cum cl. Mitt.; ferebant, Codd. — [i] mora. Sic C. V.; cl. Mitt. legit, in Cod. M., mota. — [j] quia, C. V. et cl. Mitt.; qua, habet C. A. — [k] civitate. Codd. civitatem. — [l] et dum: supplevi et ex Codd. V. et A., nam deest in C. M. — [m] per incursus et occursus, C. M.; pro incursu et occursu, Codd. V. et A. — [n] ut hostes, Codd. M. et V.; et hostes, C. A. — [o] obviantes. Sic lego cum C. V.; nam in C. M., obviant. — [p] militibus eis, C. M.; illis, C. V. — [q] quia eorum, C. V. et cl. Mitt.